

agua; quoniam tertio die aquam Gentium congregavit in unam congregationem cum eam transmutasset vera vitis ab aqua in vinum lactis. Aqua ob lachrymarum naturam passim in Scriptura sacra dolorem, mœstitiãque adumbrat, Christus Dominus in primo mirabilium suorum signo, dumque in eum discipuli crediderunt, in nuptiis, quæ die tertia sunt celebratæ, aquam in vinum convertit; quia ab ipso tertia die nempe Dominicæ resurrectionis, ac dom credentes ad ipsum accedunt, omnis tristitia, afflictioque spiritus in lætitiæ exultationisque vinum transmutatur, & convertitur. Tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et dixit Deus: Fiat lux & facta est lux. Genes. 1. n. 2. Valde mirum, quod cum chaos, atque confusio universum occuparet spatium; aquisque repleverentur omnia, non prius sit firmamentum, aquarumque divisio, sed lux prima die creatur. Tenebræ tristitiam expriment, atque dolorem, & ubi divinus Spiritus advenit omnis illa fuit tenebrarum confusio in perjuocandam lucem, quæ gaudium, exultationemque significat, transmutata. Et ita dixit Petrus Cellensis lib. de panibus: Si Deus adest, mœstitia fugit, lætitia perfunditur, & miro gaudio animus pulsatur.

Credenti tristitia omnis in gaudium vertitur.

Genes. 1.

Petr. Cell.

QUÆSTIO XXIX.

Quare Christus Dominus per se aquam non diffudit?

115. **M**andavit Dominus ministris: Implete hydrias aqua. In charitate Dominus multo ferventior erat Abrahamo; hic tamen dum opus misericordiæ exercet; non mandat, sed ipsemet ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum, tandemque coram peregrinis suis posuit, Genes. 18. num. 6. Cur igitur Dominus cum esset valde humilis, non per se infundit aquam.

116. Respondet primò D. Chryostom. homil. 21. in Joannem Cur ipse, ait, hydrias non implevit, deinde in vinum vertit, sed ministris implendas mandavit? Ut miraculi ipsos testes haberet, qui aquam hausissent, ne quafrans, ne quod præstigium putaretur. Similiter Theophylactus, Euthymius. Non sat est solum ut opus perfectum undique, absolutum sit, verum ita faciendum, ut malignantium, inimicorum calumniæ evitentur. Et ne quis pravus de opere tanto sinistram aliquid suspicaretur, ideo per ministros jussit Dominus aquam infundi, ut miraculi testes ipsi fierent. Et hæc est vera, atque germana quæstionis solutio.

Chrysol. Secundò D. Petrus Chryfologus sermon. 150. Potuit, ait, augmentis succrescentibus ad nuptiarum festa vini ampliare, & perpetuare mensuras; sed aqua in sanguinis erat convertenda mysterium, ut mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret. Hoc vinum mirabiliter productum, ut supra dixi, Eucharisticum Christi sanguinem adumbrabat; ut ergo homines illud biberent, eorum operatio interveniente aqua exigitur: quia tanti mysterij solum participes sunt, non otio torpentes, sed qui sedulè laborant, ac mundam conscientiam lachrymarum aqua asportant.

Ad Eucharistiam, qui laborant, ac cedant.

Tertiò D. Ambrosius lib. 6. in Lucam, ad illa verba, Manducaverunt omnes, sic ait S. Doctor, In nuptiis ex fontibus vina, ministris operantibus, colorantur, & ipsi, qui impleverant hydrias aqua, vinum, quod non desulerant, hauriebant. Ut nobis divina communicentur dona, cooperatio nostra est adhibenda; & ideo mirabile vinum non datur, nisi dum operantur ministri, & aquam propriis manibus, humerisque deferunt. Moysi præcepit Deus, ut faceret tabernaculum, propitiatorium arcam, & candelabrum. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, Exod. 25. num. 4. Ad illa enim omnia referunt exemplar monstratum Abulenſis, Cathusianus, & alii. Et patet ex ipso met cap. n. 9. Facient mihi sanctuarium juxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi; Sed jam est difficultas, cur Dominus totum ipsum tabernaculum, arcam & propitiatorium, undique confectum & absolutum non dederit Moysi, & filiis Israël; divina enim omnipotentia æquè facile erat, hoc totum confectum exhibere, ac ipsam similitudinem, exemplarque ostendere. Cur ergo tabernaculum, arca, propitiatorium undique confectum non datur? in hominum auxilium hæc parabantur, ut necessitate oppressi ad tabernaculum confugerent; ibique invenirent remedium. Exigebatur ergo, ut divina gratia adjuvante, in hoc negotio eorum interveniret operatio. Glossa Ordinaria: ibi significatur omnis scriba doctus in regno calorum, cum ea, quæ literis sanctis de fide Catholica, & actione pia didicerit, ipse facere, & alios docere, præcipitur: inspicere, & facere secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, jubetur. Et latius Glossa, Ut homo augetur, in sanctitateque proficiat, necesse est, ut ipse faciat, & operetur. Quandoquidam populus fuit in deserto, divinitus è cælo descendebat manna, quod, ut dicitur Numer. 11. n. 8. Erat autem Manna, quasi fenum coriandri, coloris bdellij, et sicut vitæ, & collicens illud, frangebatur mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo rotulas saporis quasi panis oleati. Si autem Deus tantis se erga Israël habebat deliciis, atque favoribus, cur non dabatur manna ipsum undique præparatum? ut poma, fructusque arbores ferunt? Ad quid necesse erat ipsum tanquam in molari lapide frangere, in ollaque coquere? de quo late ibi Abulenſis. Majus enim esset beneficium, si cælestis ille panis omni condimento dispositus caderet. Pagninus in sua Isagoge: Manna ope, ac industria humana præparabatur ad vescendum. Præfigurabat cibis ille cælestis dona, ut concors est Patrum sententia, & ut homo illorum particeps fieret, ejus exoptabatur industria & operatio.

Joannis 2. n. 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit eis: Haurite adhuc, & offerre præcipuo discumbenti. Itaque obtulerunt.

Beda. Dicit eis: Ite, & haurite nunc.

S. GAN

S. Gaudentius. Tunc ait ipse Dominus tract. 2. Jesus eisdem ministris:

Joannis 2. num. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam; & non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, qui hauerant aquam; vocat sponsum architriclinus.

EXPOSITIO.

118. **U**bi Dominus agnovit hydrias impletas, dixit ministris: Haurite nunc, hoc est, statim, sine ulla dilatione, ut evidentissimum esset miraculum in momento factum; quæ enim naturaliter sunt, non ita brevi tempore operantur. Et ferte architriclino; hoc est præposito mensæ. Non imperavit Christus, ut statim apponeretur convivantibus, sed ut prius architriclinus gustaret. Ut supremus Dominus, miraculum edidit Salvator, tamen in his, quæ spectabant ad officium architriclini, noluit eum Dominus impedire, sed determinat, ut consueto modo res disponatur. Vide lib. 1. c. 5. n. 16. & lib. 2. c. 7. n. 6. & hoc c. 2. n. 5.

Dominus inferiorem in officio suo non impedit.

QUÆSTIO XXX.

Quisnam esset Architriclinus, & unde dictus?

119. **P**ræpositus mensæ Architriclinus dicebatur à loco convivij, qui ex tribus lectulis constabat, derivatione facta à nomine Græco; nam prædictus locus triclinius dicitur, ut patet ex convivio Samuels 1. Reg. 9. n. 22. Introduxit eos in triclinium. Veteres enim, ut deliciose, ac delicatè viverent, non sedendo, sed in lectulis recumbendo epulabantur. Virgilius Æneid. 1.

Virgilius. Toris jussi discumbere pistis. Et constat ex convivio Assucri Esther 1. num. 6. Amos 6. n. 4. Eze h. 23. n. 41. ubi multa, & doctè adducit Pardos. Dicebatur autem triclinium, vel fumebatur numerus certus pro incerto, vel in convivio mensæ, vel lectuli ponebantur per tria latera, quartum autem latus lectulo vacabat, ut per illud inferrentur dapes. Mulieres verò, ut observat Valerius Maximus l. 2. c. 1. de Matronis Romanis, honestatis gratia, non cubantes, sed sedentes cibum fumebant.

Architriclinus quisnam esset, dobitatur. D. Gaud. tract. 9. existimat, fuisse quemdam Sacerdotem, qui agebat curam pudoris conjugalis D. Thom. Lyran. & faver Syriacus, fuisse principem & primum inter convivas. Probabilius tamen Euthymius asseverat, Architriclinum dici præfectum convivij & omnia, quæ convivij erant, disponere, providebat, ne alicui cibi, & potus decisset, & ideo jussit Dominus, vinum ad eum deferri, ut ipse miraculi esset testis. Chryostomus, id in causa fuisse testatur, quia cum ipse mensæ non accubaret, sano sobriòque erat palato, ut de vini bonitate judicaret. Jansenius ait: Quia saporum prurissimus erat. Moraliter verò Interlinealis, Beda, Haymon inquirunt, quòd Architriclinus est Paulus vel doctor, seu magister, qui veram doctrinam cognoscere debet, & cunctis novam Evangelicæ fidei gratiam, & perpetua cælestis patriæ dona profferre.

Chrysol. Jansen. Interlin. Beda. Haymon.

Sylveira in Evang. Tom. II.

VERSIONES.

Syriacus. Cum autem gustasset ipse architriclinus aquas illas, quæ factæ fuerant vinum, nesciebat autem unde esset, sed ministri sciebant, quippe qui impleverant eas aqua.

Pagninus. Cum gustasset aquam in vinum versam, &c.

Theophylactus. Postquam gustasset, &c.

EXPOSITIO.

**A**rchitriclinus munus suum exercet, ut notat Cajet. hic non ait. Evange. Cajetan. lista de eò, bibit vinum, sed, gustavit, ad significandum architriclini officium; nam durante convivio non bibebat, sed tantum summis labijs gustum vini percipiebat. Aquam vinum factum. Aqua jam non erat; hoc tamen dicitur ad significandum, quale esset vinum. Et quamvis architriclinus totus de vini excellentissimo sapore, odore, colorèque esset admiratus, & unde tam pretiosum esset asportatum, nesciret; cum tamen ministri optime scirent, nihil ei dicunt, ex eo, quia à Christo dictum est tantum: Haurite, & ferte architriclino. Ut optimi ministri sibi imperata faciunt, & ultra non progrediuntur. Vel forte nihil dicunt, ut ait Toletus, existimantes Christum operatum esse miraculum, ne vinum defecisse divulgaretur. Vocat sponsum. Ex hoc graves Recentiores inferunt sponsum cum reliquis convivis ad mensam non accubuisse, sed in curandis, quæ ad convivium spectabant, fuisse occupatum. Tamen longè verisimilius est, sponsum, in cujus gratiam nuptiæ celebrabantur, in mensa inter convivas adesse, ac cum eis sompse esse cibum. Architriclinus ergo totus admiratus de excellentia vini, clamans appellat sponsum: Quomodo jussisti ponere deterius, cum excellens prius esset apponendum?

QUÆSTIO XXXI.

Quare Architriclinus vocat sponsum, & non ministros?

**A**rchitriclinus magnam in admirationem raptus, non ministros, sed sponsum vocat. Ad quod respondeo C. 2. primò.

Minister nuntium domini sequitur.

primò, quod architriclinus erat mensæ præpositus, tanquam dispensator, ut in convivio omnia convenienti tempore apponerentur, ac distribuerebantur; in omnibus tamen iustum nutumque sponsi sequebatur, quia erat Dominus, à quo omnia ei tradita fuerant; ideoque non ministros, qui imperata faciebant, sed ipsum sponsum ac dominum appellat, ac veluti arguit, quòd rectum inverterit ordinem, ac deteriora priùs apponere mandaverit.

123. Chrysof. Theophyl.

Secundò Divus Chrysof. homil. 21. Theophyl. & ait ita: Architriclinus, non ministros, sed sponsum interrogat; quare? Omnino iuxta divinam providentiam; nam si ministros interrogasset, utique miraculum revelasset, & nullus eis credidisset. Initium enim erat signorum, & nullus adhuc opinionem talem habebat de Christo: atque ita ministris narrantibus miraculum hoc nullus credidisset. Igitur paulatim ministri omnibus hoc narrantes, fideles habiti fuerunt. Idcirco ordinavit Dominus, ne ministri interrogarentur, sed sponsum. Alto Dei consilio, non ministri, sed sponsus queritur in hoc negotio, ut ipse publicè dicat, se rem nescire, talèque in domo ejus vinum non esse, ut ministri inciperent aperire veritatem, eisque fides daretur. Animi ad magna pedetentim disponendi, ut alta percipiant. Vide lib. 1. c. 5. n. 16. & c. 10. n. 2. & l. 2. cap. 9. num. 7.

Ioannis 2. n. 10. Et dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, & tunc id, quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

VERSIONES.

Syriacas. Unusquisque priùs vinum bonum offert, & cum inebriati fuerint (convivæ,) tunc quod minimum est, tu autem servasti vinum optimum nunc usque.

Hebraicè Sà, & Vatablus in scolis. Et cum egregiè biberint, tunc quod deterius.

Hebraicè apud salmeiron. Tu autem servasti melius. Pagnin. Vatabl. Usque ad hoc tempus. Arias. Usque jam.

EXPOSITIO.

124.

PRUDENS architriclinus, non patiens, quòd in officio suo ab aliquo culparetur, ac si in aliquem ex ignorantia incidisset defectum, verum in cibo, potuque distribuendo explicat ordinem, Bonum vinum ponit. Frequens est consuetudo, ut in conviviis meliora vina in exordio proponantur; quia tunc homo, cum sit jejunus, vini nobilitatem percipit melius. Cum

autem progreditur in convivio, corrumpitur gustus, & vini qualitatem non ita præsentit. Notat autem Albertus Magnus, quod largi, ac liberales apud dilectos convivas tenent consuetudinem, quæ hic allegatur: at verò avari è contra malum vinum apponunt, ut bonum non expendatur, sed reservetur. Hæc ferè ille, Et cum inebriati fuerim. Hæc ita accipe cum Chrysof. mo, Theophylacto, & aliis. Non quod in convivio, in quo Christus aderat, talis fuerit excessus, ut hæc vox apud nos sonat, sed est Hebræorum loquendi modus, ut per ebrietatem intelligatur satietas, magnaque lætitia. De convivio à Joseph fratribus exhibitò dicitur: Biberunt, & inebriati sunt cum eo, Genes. 43. n. 34. Vistiasti terram, & inebriasti eam, Psalm. 64. n. 10. hoc est satiaisti. Inebriamini obavissimi, Cant. 5. n. 1. Moraliter per sponsum. Haymon & alij intelligunt Christum Dominum, qui præcellentissimam mysteriorum fidei cognitionem reservavit usque ad hoc tempus legis Evangelicæ.

Alb. Magna

Avari meliora oculis tant.

Chrysof. Theophyl.

Genes. 43.

Psalm. 64.

Cant. 5.

125.

Euthym. Gloria Christi operibus est hoc? Veruntamen id prætermisit Evangelista, censenda.

Quid autem sponsus dixerit Evangelista non expressit. Ad quod respondet Euthymius. Verisimile est autem, inquit, sponsum dixisse: Quidnam est hoc? Veruntamen id prætermisit Evangelista, utpote non necessarium. Recognita sponsus, convivæ, atque ministri attoniti, admiratique fuere. Quid verò dixerint non aperit nosster Joannes quia fortasse quædam laudatoria verba fuere; sed tantum: Crediderunt in eum discipuli ejus. Nam Christi gloria, non tam verbis, quam operibus cognoscenda, consistendaque est.

Ioannis 2. n. 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

VERSIONES.

Pagninus. Hoc edidit initium suorum, &c. Syriacas. Notam fecit gloriam suam. Vatablus. Et manifestam fecit gloriam suam.

EXPOSITIO.

TRIA hic advertit Evangelista, primum præminentiam miraculi; secundum manifestationem gloriæ; tertium effectum subsecutum, scilicet fidem discipulorum. Miraculi præminentia, fuit enim primum Christi signum, & per illud, manifestavit gloriam suam; nimirum latentem divinitatem, ut hic explicat Interlinealis. Fructus verò, seu finis securus, fides discipulorum. Propter nostram utilitatem, ac fidem Deus operatur; & dum hæc à nobis exhibetur, tunc ejus gloria manifestatur. Crediderunt in eum discipuli ejus. Amici, quique erant ex ejus schola, ejus mirabilia vident, ut eum agnoscant, in eumque credant.

126.

Interli.

130.

QUESTIO XXXII.

Utrum hoc primum fuerit miraculum, quod Christus Dominus edidit?

127.

Chrysof.

Theoph. Euthym. Cajetan. Barradas. Suarius.

128.

Utraque sententia rejicitur.

Uæ sunt in hac materia extremæ sententiæ, unaque mediæ. Prima sententia extrema affirmat absolute, hoc non fuisse primum Christi miraculum, sed tantum primum eorum quæ fecit in Cana Galilææ: nam Joan. 4. n. 46. aliud memoratur ibij factum. Ita tenent aliqui, quos refert D. Chrysof. homil. 2. 2. in Joan. Secunda sententia contendit, hoc fuisse primum omnium miraculorum, quæ Christus operatus est. Hanc docent Theophylactus, Euthymius, Cajetanus, Barradas, Saarius tom. 2. ad 3. p. disp. 17. §. Quinto.

Utraque sententia mihi non placet: non prima, quia nulla est ratio, ob quam dicamus, Evangelistam admittere, hoc fuisse primum signum in Cana, & non advertere, aliud fuisse primum in Jerusalem, vel in alio loco. Secunda sententia etiam non placet: quia licet miracula, relata in libro de infantia Salvatoris, ficticia sint, & ut apochrypha rejiciat Gelasius Papa c. sancta Romana disp. 15. Et signa, quæ facta sunt in Christi nativitate, ex modo, quo fiebant videantur à Patre facta amore, ac benevolentia erga Christum, ut inquit Suarius citatus; tamen negari non potest, quòd aliqua miracula sint facta à Christo ante hanc vini conversionem, ut cum esset puer duodecim annorum, mirabilem sapientiam ostentaverit in templo, ita ut Doctores obstupescerent, quod fuit miraculum supra naturam, & ut Deus operatus est, ut docent Patres, & dixi lib. 2. c. 10. n. 26. Deinde quod quadraginta diebus jejunaverit, & illis diebus nihil comederit, Matth. 4. n. 2. Luc. 4. n. 4. quod fuit opus miraculosum, & supra totam naturam. Tandem ad ejus ingressum in Ægyptum aliqua miracula referunt sancti Patres, ut dixi lib. 2. c. 7. n. 13. interpretantes locum Isaie 19. num. 4. ut ibi dixi. Ergo hoc non fuit primum omnino signum omnium, quæ Christus fecit.

129.

Ambros.

Media sententia, & mihi vera, est; hoc fuisse primum signum, atque miraculum, quod edidit Christus Dominus in exordio prædicationis suæ ad se manifestandum verum Deum, ita ut homines crederent in illum. Pro hac stant Salmeiron lib. 44. tract. 7. Toletus annot. 14. Maldonatus hic Hanc tradit D. Thomas 3. p. q. 13. art. 4. prout probat, hoc in nuptiis fuisse primum miraculum, quod Christus fecit, ad ostendendam suam divinitatem, atque in confirmationem doctrinæ suæ. Ita loquitur D. Ambrosius serm. 13. Dicitur, hoc primum fecisse miraculum, ut aquam mutaret in vinum, magnum planè signum, & ad Dei credendam sufficiens manifestatem. Et in hoc sensu loquuntur sancti Patres. Probat hanc sententia; quia jam ostendit ante hoc signum aliqua miracula fecisse Christum Dominum. Deinde Evangelista appositè loquitur ad id, quod agebat, agebat enim de Christi manifestatione per miracula, ac per prædicationem, quando discipulos ad se trahere cepit; & in hoc sensu inquit, hoc fuisse primum signum.

Sylveira in Evang. Tom. II.

Quare verò Christus antea non ediderit miracula; optime probat Chrysofomus homil. 16. Primò, quia cum nondum prædicaret, nec discipulos congregaret, non requirebantur miracula, hæc enim ad doctrinæ confirmationem facta sunt. Secundò, si antea miracula operaretur, vel esset creditus phantasma, vel ante proportionatum tempus mortis traderetur. Tertio, ordinatum erat à Patre, ut prius à Joanne Baptista demonstraretur, sicut ipse dixit Joan. 1. num. 31. Joan. 1. Ut manifestetur in Israël, ego veni in aqua baptizans. Ergo conveniens erat, ut miraculis non antea declararetur.

QUESTIO XXXIII.

Quare hic dicitur, quòd Christus manifestaverit gloriam suam?

Germana solutio est, ut dixi in expositione, Manifestavit gloriam suam; hoc est, divinitatem suam; hanc enim gloriam ejus appellant Evangelistæ Matth. 11. num. 14. & 16. n. 27. Et quamvis multi Prophetæ, ut parentes Elias, & Eliseus, miracula ediderint de nullo tamen eorum dicitur, gloriam suam ostentasse, quia ut servi gloriam Dei, ac Domini indicabant: Christus autem, ut verus Deus omniumque Dominus gloriam propriam manifestabat.

Secundò, Christus Dominus multa edidit miracula; jejunavit enim quadraginta diebus sine cibo, & potu, Matth. 4. n. 1. Luc. 4. n. 1. & tamen non dicitur, quod tunc manifestaverit gloriam suam: imò si ad vocem Diaboli lapides in panes converteret, hoc minime diceretur. Rupertus lib. 3. de gloria, ac honore filii hominis. Forte enim putas, inquit, quia gloriam suam manifestavisset, si ad ejus dictum lapides facti fuissent panes, sicut in eo gloriam suam postmodum manifestavit, quod ad ejus nutum aqua in vinum versa est: sed non ita est. Ubi enim hoc fecit initium signorum, & sic manifestavit gloriam suam, non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem vult manifestare, ut crediderunt in eum discipuli ejus. Si nostrum comensator in conversione lapidum potentiam suam ostentasset; ut Diabolus petebat, cum inde terrensus, nullus ad hominum salutem fructus daretur, gloriam suam manifestasse non diceretur; hæc enim tunc maxime publicatur, ac declaratur, cum commodum nostrum, atque utilitas intervenit.

Tertio Divus Augustinus tractat. 6. in Joannem. Itaque servavit sibi Deus inusitata quadam, quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad se colendum mirabiliter excitaret, propter quod sequitur? Et manifestavit gloriam suam. Erant enim homines obcæcati, & Christi majestatem non agnoscebant; per hoc autem miraculum cepit potentiam suam propalare, ideo dicitur, manifestasse gloriam suam. Quarto, Hoc miraculum sacram Eucharistiam adumbravit, ut supra dixi: ideo ergo dicitur Christus Dominus gloriam suam manifestasse, in hoc enim mirabili mysterio mirabilis potentia ejus maxime resplendet, atque elucet.

131.

Rupert.

133.

August.

In Eucharistia Dei potentia resplendet.